

IV.

Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntia-verint.

596. *Sectae Massonicae... machinantur.* His verbis indicantur sectae quibus si nomen datur, praesens censura incurritur. Imprimis recensentur sectae Massonicae aut Carbonariae, quae velut paradigmata ponuntur quibus reliquae similes esse debeant. Massones excommunicavit Clemens XII Const. *In eminenti* (1738), quam confirmavit Bened. XIV Const. *Providas*. (18 Mart. 1751) Carbonarios eidem poenae subjecit Pius VII (15 sept. 1821) Const. *Ecclesiam*. Has proscriptiones innovarunt, praeter Pium IX, Leo XII Const. *Quo graviora* (13 Mart. 1825) et Leo XIII Const. *Humanum genus*. (20 Apr. 1884) Praeter Massoniam et Carbonariam, sub eadem censura prohibentur quaecumque sectae ejusdem generis sunt, vid. quaecumque vel contra Ecclesiam et legitimam potestatem civilem, vel contra alterutram machinantur, etiam si alium finem prosequi profiteantur Ut enim docet Leo XIII in praeclara Constitutione mox citata: "Variarum sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cujusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. „ Nihil refert utrum secretae sint an publicae, ut patet e verbis *seu palam, seu clandestine*; neque utrum exigant a suis asseclis secreti servandi juramentum necne, ut declaravit S. Inq. Instr. ad omnes Episc. data 10 Maii 1884. (Coll. P. F. n. 1865) Ex principiis generalibus de censuris (n. 570) liquet singulos hac excommunicatione affici tantum si finem societatis et censuram hanc cognoverint.

Sectis sub censura prohibitis adnumeranda est ex decr. S. Inq. 12. Jan. 1870 secta Americana seu Hibernica Fenianorum; insuper, ex fine quem prosequuntur, patet iisdem adscribendos esse Nihilistas in Russia vel Anarchistas, in multis regionibus existentes.

Idem dicendum de Socialistis, ubicumque coetus eorum qui hoc nomen prae se ferunt amico foedere coeunt et in suis operationibus conspirant cum ea secta quae nunc passim in plerisque Europae regionibus statum rerum politicarum et oeconomicarum plane novum inducere conantur. (D'Annib. Comment. in h. l.; Hilarius a Sexten, op. cit. p. 171) Hi enim omnes, specioso praetextu perficiendae materialis condicionis

plebeiorum, ea moliuntur quae ad plenam eversionem Ecclesiae et Status tenderent. Neque solida videtur distinctio quam quidam (Vermeersch, De proh. et cens. lib. n. 13) faciunt inter eos Socialistas qui profiteantur velle se causam suam vi et caedibus promovere ac proinde Anarchistis accenseantur, et eos qui mediis tantum legalibus se usuros esse asseverent. Etenim hi reapse non absolute rejiciunt media violenta et omnibus legibus civilibus divinisque contraria, sed tantum ad tempus et hypothetice, nimirum quia existimant, in praesenti rerum condicione, perverso suo fini assequendo magis profutura esse media legalia, parati tamen violenta adhibere quotienscumque ea in particularibus adjunctis necessaria forent. (1) Quare nullam rationem cernimus ob quam Socialistae omnes qui non nomine tantum tales sint separantur ab iis quibus Leo XIII eos in Encycl. Litt. 28 Dec. 1878 adnumerabat: "Intellegitis nos de illa hominum secta loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus Socialistae, Communistae et Nihilistae appellantur. „ Neque dicas Socialistas non satis arte inter se conjungi ut vera secta, Massonicae similis, censeantur, sed potius esse partes politicas, in quibus frustra aliquid occulti quaeras. Etenim ad veram sectam efficiendam juxta proprium hujus vocis sensum, nihil amplius requiritur quam ut homines corpus aliquod morale suis ducibus suisque legibus instructum efforment: quod de iis qui societates Socialisticas ingressi sunt negari nequit. Profecto praeter eos qui artissimo foedere inter se conjuncti sunt, sunt et alii multo plures qui tantum ad partes politicas Socialistarum pertinent. Sed etiam hi sub censuram, positis condicionibus requisitis, cadunt, perinde ac si quis adhaereret candidatis politicis qui se palam profiterentur Franco-Muratores atque hujus sectae placita propugnatos esse. Neque nimis urgenda similitudo quae inter sectam Massonum et ceteras sectas vigere debeat: nam in tenore censurae nulla alia similitudo indicatur quam ut veram sectam constituent et pariter ac Massones contra Ecclesiam vel Statum machinentur. Quin etiam si nimis urgeas tamquam essentialem characterem occultum sectae, excipiendi erunt a censura Massones Angliae, Statuum Foed. Americae, etc. ubi publicos coetus sub publicis notis ducibus celebrant iidem sectarii. (2)

(1) Ita in Belgio nostro vidimus perpetuo recurrere etiam eos Socialistas qui se ab Anarchistis distinguunt, ad cessationem plus minusve universalem a labore ut gubernio vim inferant, vel etiam ad apertam seditionem: prout mense Julio 1899 iterum cum summa reipublicae perturbatione experti sumus.

(2) Controversia illa de Socialistis minoris momenti practici est quam prima fronte videri potest. Etenim de iis punctis quae ad religiosam populi institutionem et directionem pertinent, nullum dissidium inter Theologos morales oriri posse putaverim. Etenim constat: 1º Sub gravi prohiberi quominus fideles

Necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes. Haec verba valde generalia sunt et multa complectuntur, ex. gr. societates praedictas propagare, iis, sponte et nulla necessitate cogente, potestatem facere coetus suos habendi, iis in suis aedibus receptaculum praebere, etc. Multa hujusmodi prohibet Clemens XII. (Const. cit.) Sed notandum eas tantum actiones nunc sub censura prohiberi quae verum favorem sectis praestitum contineant. Hinc merito censet Pennacchi (Comm. I. p. 623) non excommunicari qui semel aut iterum, curiositatis dumtaxat causa, sectariorum coetibus intersunt: nisi ea sint adjuncta ut talis assistentia commendationi sectae aequivaleat. Neque putamus universe habendos esse ut excommunicatos qui domos vendunt vel locant sectae damnatae. Nam cum sectariis contractum inire strictae aequalitatis, per se non videtur favor iisdem praestitus; per accidens locatio, venditio, etc. favorem continere posset, puta si nullus alius praesto esset qui iis congruas aedes locaret, venderet, etc. Sic, licet excommunicationem incurrant favorem praestantes haereticis, AA. communiter, et ipse Card. Vicarius, Instructione pro urbe Roma edita an. 1878, architectas, operum conductores, etc. qui templa protestantium aedificanda suscipiunt, gravis quidem peccati arguunt, minime vero excommunicationis contractae. Cfr. Vol. I. n. 237.

Earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes. Imponitur haec denuntiandi obligatio omnibus qui illos duces quacumque ratione, etiam aliorum relatione fide digna, cognoverint. Nomine autem coryphaeorum ac ducum intelleguntur non solum ii qui harum societatum suprema capita sunt, sed quicumque aliquam potestatem in iisdem exercent. Denuntiatio haec facienda est Ordinario loci et quidem, nisi grave incommodum dilationem excuset, infra mensem a cognita denun-

se coetibus Socialistarum aggregent vel iis favorem praestent: quod liquido constat e fine pravo quem sectariorum duces prosequuntur et apertam impietatem in quam citius tardius asseclas trahunt, ut lugenda experientia cotidie patet. Quare non est quod hic imitemur prudentiam illam qua S. Sede abstinuit a damnandis quibusdam Societatibus Americanis, ut infra dicemus, cum evidens sit pravus finis in quem Socialismus totus conspiret. — 2º Eos qui principiis socialistarum imbuti sunt, putido nempe atheismo et materialismo, incurrere excommunicationem specialiter R. P. reservatam, de qua dictum est n. 586. Cfr. Lehmk. II. n. 930. — 3º Plerosque fideles qui Socialismo favent vel etiam coadunantur immunes esse a censura incurrenda, seu quia censuram ignorant, seu etiam quia nullum peccatum grave committunt, dum putant sectam illam nihil aliud esse quam partes politicas plebeiorum commoda propugnantes. Attende tamen diligenter monendos esse eos omnes qui se Socialistarum coetibus imprudenter ingerunt; summum enim periculum incurrunt imbuendi spiritum rebellionis et ipsam fidem amittendi e consortio eorum qui principiis Socialistarum infecti sunt et e lectione ephemeridum sectae.

tiandi obligatione; sufficit ut quacumque ratione, ex. gr. per epistolam vel confessarium, nomen illorum ducum Ordinario manifestetur. Manet autem obligatio denuntiandi, etiamsi isti coryphaei jam notorie cogniti sunt tamquam Massones, non autem ut coryphaei, etiam in iis regionibus in quibus sectae hujusmodi a gubernio tolerantur et nullatenus a potestate ecclesiastica puniri possunt. (S. Inqu. 19 Apr. 1893; Act. S. S. t. 25. p. 749) Attamen videtur cessare obligatio denuntiandi, quando omnino publice constat quinam sint illarum sectarum duces, cum nemo ad rem plane inutilem teneatur. (D'Annib. I. n. 391. nota 4)

Donec non denuntiaverint. Igitur, facta denuntiatione, cessat non tantum reservatio, sed ipsa excommunicatio, ut declaravit S. Inqu. 1 Febr. 1871 (Buccer. Th. Mor. de Const. Ap. Sedis, n. 25), et verbis Bullae conformius videtur.

597. Quaedam hic adjiciemus de absolute illius qui a secta Massonum aliave ejusdem generis ad meliorem frugem redeat.

Regulariter ab eo exigendum est ut omnem communicationem cum sectariis abrumpat et formalem renuntiationem ad impiam societatem mittat. Immo plures AA. (Gury, II. n. 1000) universe docent: numquam licere confessario hujusmodi poenitentem absolvere, si in frequentandis sectariorum coetibus perseverare velit. Nituntur auctoritate S. Inqu. quae, de hoc casu interrogata, 5 Julii 1837 respondit: "Juxta exposita, non licere." Sed recte notat D'Annib. (l. c.): responsum istud cum grano salis esse accipiendum, ac licite hujusmodi poenitenti dari posse absoluteionem, si non statim omnem relationem cum secta sua abrumpere possit quin periculum necis aliusve gravissimi mali incurrat. Supponitur tamen ex illa ad tempus toleranda communicatione nullum detrimentum spirituale poenitentis praevideri, neque emolumentum sectae oriturum esse. Sub his restrictionibus, haec videtur mere materialis cooperatio, quae, secluso scandalo, ob gravissimas causas licita fit. (Vol. I. n. 235. III.) Neque dicas S. Inqu. ubi 18 Jan. 1896 permisit ut fideles jam adscripti tribus societatibus Americanis reprobatis, aliquas relationes cum iis servarent, addidisse expressam condicionem: ut interim a quavis sectae communionem et a quovis interventu, etiam materiali, abstinere. Cfr. Vol. I. n. 359. IV. In hoc enim responso agebatur tantum de vitando damno gravi quod in bonis fortunae e renuntiatione timebatur, dum in sententia supradicta supponitur imminere periculum necis vel alius gravissimi mali, quod moraliter neci aequivaleat.

Si poenitens censuram novit, ideoque eam incurrit, confessarius qui facultate absolvendi a casibus R. P. reservatis caret, recurat ad episcopum qui eandem a S. Poenitentiaria recipere solet. Generatim huic facultati a S. Sede adnectuntur certae clausulae, quarum praeci-

puae sunt : 1^o Ut poenitentes a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent. Non est tamen necessarium ut haec abjuratio sit semper notoria et scripto documento consignata. Etenim 5 Aug. 1898 de hac necessitate interrogata, S. Inqu. requisivit tantum ut sectam "saltem coram confessario ejurent, seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo quo fieri potest." — 2^o Ut libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, tradant confessario, qui ea quamprimum ad Ordinarium transmittat, aut, si ob justas gravesque causas id fieri non possit, ea comburat. — 3^o Ut occultos sectarum duces Ordinario denuntient. Sed in applicanda prima et tertia ex his clausulis, ratio haberi potest excusationum quas supra explicuimus.

V.

Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violentes.

598. Lata est haec censura ad sancendum jus asyli ecclesiastici, in eo situm quod malefactores ad ecclesias, monasteria, loca pia, etc. confugientes, ex iis extrahi non possint. Ab hoc legis ecclesiasticae beneficio excipiuntur tamen plures gravissimorum scelerum rei, ut publici latrones viarumque grassatores, haeretici, etc.

Hodie, in plerisque regionibus, ut in Belgio, lex civilis nullum jus asyli agnoscit. Nihilominus S. Sedes huic jurium Ecclesiae laesioni minime acquievit, ut dictum est n. 579. Quare speculative viget, etiam in iis regionibus, jus praefatum et sub poena incurrendae censurae servandum est. Practice tamen vix umquam illius incurrendae occasio dabitur. Etenim, ut patet ex verbis *ausu temerario* et ex Instr. S. Inqu. 1 Febr. 1871 (Coll. P. F. n. 1003), hanc excommunicationem is tantum incurrit qui "ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exsequendo violat." Jamvero in praxi qui eam violant aut violare jubent, vix umquam a coactione immunes sunt. Nam magistratus aliive auctoritate praediti solent adigi statutis civilibus quibus malefactores apprehendere, ubicumque possunt, jubentur; milites aliive subordinati officiales a ducibus suis ad hanc violationem coguntur.

Quare, cum argumentum istud ad praxim hodiernam vix spectet, supersedebimus uberiori ejusdem explicationi: quam videsis apud Canonistas in l. 3. Decr. t. 49: *De immunitate ecclesiarum, coemeteriorum et rerum ad eas pertinentium.*

VI.

Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut condicionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima venia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes: itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

599. Hac censura muniuntur leges severissimae quas plures RR. PP. de clausura monialium tulere. In priore ejus parte, excommunicatione feriuntur quicumque, sive viri, sive mulieres, sive puberes, sive impuberes, *activam* monialium clausuram violant: quod fit per ingressum in earum monasteria absque legitima venia Ordinarii vel Praelati Regularis cui subsit earum domus. Ingredientibus assimilantur qui eos *introducunt* seu ad ingrediendum juvant, et *admittentes*, i. e. moniales quae cum ex officio abbatissae, ostiariae, etc. eos ab ingressu prohibere debeant, id facere neglegunt. In posteriore ejusdem censurae parte excommunicantur moniales quae, extra paucos casus a S. Pio V permisos, puta magni incendii vel morbi contagiosi monasterium vastantis, aut non servata forma ab eodem R. P. praescripta, vid. causa egressus, quatenus fieri potest, in scriptis ab Ordinario approbata, extra clausurae spatium progrediuntur.

Cum lex clausurae papalis eique adnexa censura non vigeant in monasteriis monialium vota simplicia habentium (n. 85), praesens excommunicatio ad praxim parum facit in Belgio, Stat. Foed. Amer. etc., in quibus vix ullae moniales votorum sollemnium reperiuntur. Quare ab ulteriore hujus censurae explicatione abstinemus.

VII.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

600. *Mulieres.* Excipiuntur: 1^o Reginae, Imperatrices earumque filiae una cum mulieribus quae ipsarum comitatum constituunt: siquidem speciali mentione dignae sunt. — 2^o Fundatrices, insignes benefactrices et nobiles feminae quibus, per concessionem S. Sedis vel consuetudinem, ingressus licet sub certis condicionibus, quas determinat Bened. XIV Const. *regularis disciplinae*. — 3^o Puellae impuberes, quia non exprimuntur diserte. Hae tamen certo graviter peccant si deliberate clausuram ingrediuntur: quamquam plures AA. graves (Sanch. in Dec. l. 6. c. 17. n. 4; Pellizar. Man. Reg. tr. 5. 6. n. 37) a

peccato excusant religiosos qui admittunt puellas septennio minores, cum pro istis non militet legis ratio.

Violantes... clausuram, i. e. ingredientes spatium quod clausurae subjacet. Clausurae autem necessario et ex ipso Jure subjacere debent partes interiores monasterii, vid. claustra, cellae, refectorium, dormitorium, infirmaria, etc. (Ferraris, Bibl. can. v. Conventus § 3. n. 9) Quaedam tamen loca, puta scholae alumnis externis patentes, pro Superiorum arbitrio, clausurae subjici vel ab eadem eximi possunt. (Pellizar. l. c. n. 36) Sacristia probabiliter, ex recepta consuetudine, non est intra clausuram, nisi cum accessus ad eam patet unice per monasterii claustra. Extra clausuram sunt horti a monasterio prorsus separati, ex. gr. villae in quibus interdum aliqui regulares rusticantur. Eidem vero subjacent residentiae in quibus stabiliter manetur in forma conventus et quibus adjuncta est ecclesia cum S. Eucharistia. Ceterum quoad modum servandi clausuram attendendae sunt consuetudines legitimae ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatae, non autem eae quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt. (S. Alph. l. 7. n. 231)

Certum est, ex Bulla cit. Bened. XIV, irritam fore licentiam quam quilibet Praelatus saecularis vel Regularis daret ad ingrediendas illas monasterii partes, quae necessario et ex ipso Jure clausurae subjacent. Sed non ita liquet per eandem Const. revocatam esse facultatem quam S. Pius V concesserat Carthusiensibus Montis Virginis et vivae vocis oraculo ad omnes Regulares extenderat : admittendi mulieres intra claustra ut interesse possent Missis, processionibus, exsequiis aliisque sacris functionibus ibidem peragendis. Nam Bened. XIV ea quae eliminare voluit, *abusum* vocat : quae vox profecto in concessionem S. Pii V per se sumptam cadere non potest. Quare plures AA. etiam recentes, ex. gr. Pennacchi (Comm. I. p. 798, haud immerito existimant eam concessionem adhuc permanere, saltem ubi viget consuetudo. Insuper a lege clausurae, sicut ab alia qualibet mere ecclesiastica, excusat justa necessitas, puta si mulier ad necem vitandam intra clausuram confugeret vel si femina quaedam necessaria esset ad curationem religiosi graviter decumbentis. (Elbel, Theol. Mor. Dec. p. 5. n. 651 ; S. Alph. l. 7. n. 231)

Regularium virorum. Igitur lex clausurae et excommunicatio contra ejus violatores lata, afficiunt omnes et solas domos Ordinum proprie Regularium (n. 74), minime vero Congregationum religiosarum.

Et Superiores aliosve eas admittentes. Admittere censendi sunt Superiores aliive ad quos specialiter pertinet clausurae custodia, si, cum possint, mulieres ab ingressu non arceant; ceteri vero religiosi, tantum quando ingredi volentibus positivum adjumentum praestant. Probabiliter autem non comprehenduntur qui tantum consulunt ingres-

sum, iter monstrant, ingressas ex urbanitate salutant vel per conventum comitantur, neque universim qui tantum causa sunt ut mulieres jam ingressae diutius in monasterio maneant : hi enim omnes minus proprie *admittere* dicerentur. (Piat. Comm. in h. l.) Neque censemur comprehendi personas saeculares, etiam Regularium servitio addictas, quae mulieres admittunt : nam per *alios* videntur intellegendi ii ad quos proprie pertinent Superiores, vid. soli Regulares. (Penn. l. p. 790)

VIII.

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, eujuscumque sicut dignitatis.

X.

Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI.

Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Const. S. Pii V *Quam plenum*, 2 Januarii 1569.

601. Hac censura, ut ex ejus tenore liquet, plectuntur qui quaestum seu verum lucrum pecuniarium faciunt, non quidem e quibuslibet gratiis spiritualibus, sed ex iis tantum quae in Bulla cit. S. Pii V enumerantur. Hae autem sunt : 1° Indulgentiae quaelibet sive plenariae, sive partiales. — 2° Facultas sibi eligendi sacerdotem quemcumque, etiam non approbatum ad confessiones, per quem quis absolveretur a casibus, etiam episcopo reservatis, et insuper ab uno quolibet casu qui S. Sedi reservatus esset. — 3° Missae sacrificium et sepultura tempore interdicti. — 4° Usus ciborum prohibitorum. — 5° Assumptio duorum vel plurium patrinorum in baptismo. — 6° Absolutio a reatu simoniae S. Sedi reservatae : quae reservatio hodie intellegenda est juxta tenorem trium censurarum praecedentium. (Penn. Comm. I. p. 936)

XII.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.